

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici  
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De Ariminensi Concilio. Cap. XVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12704**

## THEODOR. HISTOR.

Quibus respondet Imperator, altero pastore ciuitati non opus esse, quippe cum haberet vnum, qui ei posset prouidere. Etenim successum est Liberio à fideli quadam illius diacono, nomine Felice: qui tametsi fidem in concilio Nicæno expositam ipse seruauit integrum, tamen cum illis, qui eandem labefactare studebant, liberè communicauit. Ac propterea nemo ex Romæ habitatoribus in ecclesiam, dum ille intus erat, ingredi voluit. Quam rem etiam mulieres Imperatori significarunt. Quia causa sic infleebatur Imperatoris animus, ut pastorem illum longe præstantissimum Roman redire, utrosque communiter inter se ecclesiam illum regere iuberet. Itaque lectis Imperatoris in circo literis, plebs clamat, & quam esse Imperatoris sententiam. Nam bifariam diuinos esse spectatores, quibus nomine impositum est ex colorum varietate: & propterea alterum episcopum his, illis alterum præesse debere. Itaque cum hoc modo Imperatoris literas irrisione lusissent, omnes uno ore vociferantur: Vnus Deus, vnuus Christus, vnuus episcopus. Has enim voces emittere rectum esse censebant. Quibus vocibus cum pietate & iustitia à pia plebe profusis, rediit Episcopus Liberius. Felix autem clam Roma se subducens, ad aliam urbem migravit. Ista quidem historiæ de concilio episcoporum Mediolani celebrato, narrandi serie seruata, attexui. Iam igitur ad rerum gestarum ordinem reuertor.

### De Ariminensi Concilio. CAP. XVIII.

**F**idei igitur propugnatoribus expulsis, illi, qui Imperatoris animum, quo vellent, impellere potuerunt, quoniam fidem sibi suæque sectæ aduersariam se per facile la befactare posse censebant, & doctrinam Arii confirmare, persuadent Constantio, ut concilium episcoporum tum orientis, tum occidentis Arimini cogeret: mandaretque vel haec voces, SUBSTANTIA, & CONSUBSTANTIALIS (quæ tanquam machinæ quædam ad perniciem Arii & fraudulentam sectam expugnandam à patribus erant excogitatæ) ex fidei formula tollerentur. Ex his enim dissensionem in ecclesiis inuestigam dicebant. Posteaquam autem episcopi Arimini conuenerunt, illi qui macula Ariani erroris erant asperfi,

aspersi, reliquam episcoporum in unum coactorum multitudinem suis præstigiis in fraudem inducere moliebantur, & maxime episcopos occidentis, quorum mores simplices erant, & sinceri. Dicunt enim corpus ecclesiæ minimè distracti debere ob duas voculas, easque in sacris literis neutiquam scriptas, sed dicendum esse filium patri per omnia similem: vocem autem, *substantiam*, utpote in scriptura non repartam missam faciendam esse. Verùm Episcopi, fraude istorum intellecta, eis, qui hæc dicebant, interdixerunt ecclesia, suamq; mentem per literas Imperatori significarunt: dixeruntq; se patrum, qui in concilio Nicæno conuenerant, filios & hæredes esse. Quòd si quicquam eorum decretis præclarissimè constitutis vel adiificant, vel detrahanter, se ipsos plane spurios declaraturos, quippe cum patres suos insimulare viderentur. Verùm epistola ab ipsis ad Constantium scripta, exquisitam eorum fidei regulā aperiens planiusq; explicabit.

*Epistola Synodica ab Episcopis qui eo conuenerant,  
ad Imperatorem Constantium conscripta.*

C A P. XIX.

*Concilij Arimini congregati epistola ad Constantium  
Imperatorem conscripta.*

Quoniam tum mā datum Dei, tum tuæ pietatis edictum ita postulat, idcirco ea, quæ olim de fide fuerint decreta, nostris suffragiis stabienda iudicamus. Nam cuncti episcopi ex omnibus ciuitatibus ad occidentem sitis, Arimini in unum conuenimus, ut & fides ecclesiæ catholicae fieret illustrior, & illius aduersarii perspicuè deprehenderentur. Postquam igitur diu deliberatum est, placuit eam fidem, quæ ex antiquis ducta temporibus hactenus permāserit, quæq; à prophetis, ab euangelistis, ab Apostolis denique per gratiam Domini nostri Iesu Christi, tui imperij defensoris, conseruatorisque valetudinis prædicata sit, firmè retinere, retentam perpetuò defendere. Absurdum enim, imò nefas certè videbatur, quicquam commutare in illis, quæ rectè vereq; definita essent, quæq; fuissent ab omnibus in Concilio Nicæno coactis, tui patris Constantini Imperatoris illustrissimi subsidio accurate exquisita excussaque, quorum